

Oelz 72 Dd









PERFECTA
NARRATIO

(2)

Totius Processus

Supremi Tribunalis Justitiæ

IN

EXAMINE REGIS

*In Aula Westmonasteriense, die Saturni
XX & die Lunæ XXII hujus præ-
sentis Januarii.*

Cum singulis Orationibus Regis, Domini
Præsidis, & Sollicitatoris Generalis.

*Publicatum Autoritate ad prævortendum falsas
& incongruas Relationes.*



LONDINI,


Ex Officina Guilielmi Bentley,

Impensis Guilielmi Shears, prope osti-
olum Boreale Templi Divi Pauli.

Anno Dom. 1649.

affidit
o Emevci
est, & ad
inseme.





PERFECTA NARRATIO

Jan. $\frac{1648.}{1649.}$



N supremo Tribunali Justitiæ, sedente in magna Halla Westmonasteriensi, Sergeanto *Bradshaw* Præside & circiter lxx Membris præsentibus [*oyes*] facto, silentium imperatum.

Decretum Communium in Parlamento (quoad Examen Regis) lectum ; Dein Tribunal vocatum, singulis Membris surgentibus, ut vocabantur.

Rex venit ad tribunal (tecto capite) Sergeantus illum introducebat cum Massa : Colonellus *Hacker* & circiter triginta Officarii & Generosi, ingressi ut Illius Excubitores.

Dominus Præses. CAROLE STUARTE REX Angliæ, Communes Angliæ, congregati in Parlamento, tacti sensu Calamitatum quæ obtingunt huic Nationi, & innocentis sanguinis fusi in hac Natione, quorum tu Auctor esse ducis : & secundum officium quod debent Deo, huic Nationi & sibi met ipsis : & secundum potestatem & fundamentalem fidem ipsi editam à Populo, constituerunt hoc supremum tribunal Justitiæ, coram quo jam es adductus, & auditurus es tuam accusationem, supra quam hoc Tribunal procedet.

Mr. Cooke Solicitator Generalis. Domine, nomine Communium Angliæ, & universi populi illius, acculo *Carolus Stuartus*, hic præsentem criminis læsæ Majestatis, & grandium delictorum ; & peto, nomine Communium Angliæ, ut accusatio ipsi prælegatur.

Rex. Sustine paululum.

Dominus Præses. Sire ! tribunal præcipit accusationem

tionem legi, si quid postea dicendum habeas, poteris audiri. Accusatio lecta fuit.

Rex saepe subridebat durante lectione, potissimum ad hæc verba, *Tyrannus, Proditor, Homicida & publicus hostis Reipublicæ.*

Dominus Praeses. Sire, audisti jam legi accusationem tuam continentem tales materias, quales in illa apparent; observasti, quod in conclusione illius, petitur, à Tribunali, nomine Communium Angliæ, ut respondeas ad tuam accusationem. Tribunal exspectat tuum responsum.

Rex. Velim scire per quam potestatem huc fuerim vocatus; fui haud ita nuper in *Insula Vella*, quomodo eo venerim longior est historia, quam idoneum puto hic exponere: verum ibi ingressus sum Tractatum cum utraq; Domino Parlamenti sub tam publica fide quam possibile sit obtinere ab aliquo populo in orbe. Tractavi ibidem cum numero honorabilium Dominorum & Generatorum, & tractavi honestè & fideliter, dicere nequeo quin valde ingenuè egerint mecum, & eramus in eo ut Tractatum concluderemus. Nunc velim scire per quam Authoritatem, puta legitimam? Sunt multæ illegitimæ auctoritates in mundo, fures & spoliatores in viis publicis; sed velim scire, per quam Authoritatem inde sim deportatus & ductus à loco in locum (& nescio quid) & ubi cognoverim legitimam Authoritatem, respondebo. Recordamini, Me esse Regem vestrum, legitimum, inquam, vestrum Regem, & bene perpendite quæ peccata accersatis in capita vestra & iudicium Dei super hanc terram: perpendite seriò, dico, antequam ulterius procedatis ab uno peccato in majus; propterea docete Me, per quam legitimam Authoritatem hic sedeam, & non refragabor respondere; interea non prodam meam fidem; habeo fidem mihi commissam à Deo, per veterem & legitimam successionem, nolo illam prodere respondendo novæ & illegali Authoritati, propterea determinate mihi hoc, & plura à me audietis.

Domi

Dom
suggestu
venisti,
Authori
quo Re

Rex.
Domi

Tribun

Rex.

Regnum

annis, p

tem huc

bertate p

pratendi

Me, quâ

spondebo

Domi

fidem tibi

spondend

cet te in

fuit.

Rex. A

Cobber, (i

Insula Ve

mittam T

gis Domu

tum quili

Dominoru

& Regem

ducere Reg

ducere ad f

bis? osten

verbum De

stitutiones

Dominus

datum fuit

re, Tribun

lit; interea

Curia desic

quam velis

Dominus Praeses. Si placuisset tibi observare quod suggestum tibi fuit à Tribunali, cum primùm huc venisti, intellexisses per quam Authoritatem; quæ Authoritas requirit à te, nomine populi Angliæ, à quo Rex es electus, ut respondeas ipsis.

Rex. Nequaquam Sir, nego illud.

Dominus Praeses. Si non agnoscis Authoritatem Tribunalis, oportet illos progredi.

Rex. Aio illis, *Anglia* nunquam fuit electivum Regnum, sed hæreditarium regnum penè bis mille annis, propterea docete Me, per quam Authoritatem huc fuerim vocatus: magis pertendo pro libertate populi mei quàm quisquam vestràm, qui prætenditis esse mei Iudices; & propterea docete Me, quâ legali Authoritate hic locatus sim, & respondebo, aliter non sum responsurus.

Dominus Praeses. Sire, quàm benè administraveris fidem tibi commissam, notum est: methodus tua respondendi est interrogare Tribunal quod non dectet te in hac conditione. Bis aut ter tibi dictum fuit.

Rex. Adest hic generosus, Locumtenens *Col. Cobbei*, (interroga illum) an non abduxerit me ab *Insula Vetta* per vim? Non veni huc quasi me submittam Tribunali; volo agere tantùm pro privilegiis *Domus Communium*, benè intellectis, quantum quisquam hic alius; Non video hic *Domum Dominorum*, quæ possit constituere Parliamentum, & Regem quoque oportebat præesse. An hoc est ducere Regem ad suum Parliamentum? Estne hoc ducere ad finem *Tractatum* per publicam fidem orbis? ostendite mihi Authoritatem stabilitam per verbum Dei, *Scripturas*, aut confirmatam per constitutiones Regni, & Respondebo.

Dominus Praeses. Sire! proposuisti quæstionem, & datum tuit responsum; si quidem non vis respondere, Tribunal Considerabit, quomodo processurum sit; interea qui te huc adduxerunt, reducent te. Curia desiderat scire, an hæc sit omnis responsio quam velis dare, an non.

T 3

Rex.



Rex. Desidero ut mihi velis satisfacere & toti orbi in hoc: permittite mihi vobis dicere, non est res parvi momenti, circa quam versamini. Juratus sum custodire Pacem secundum obsequium quod debeo Deo & Terræ meæ, & volo hoc perficere ad extremum halitum corporis mei; bene itaque facietis primùm satisfacere Deo & tum Terræ, quâ Authoritate hoc agatis; si facitis per usurpatam Authoritatem, non potestis hoc defendere. Deus est in cœlis, vocabit vos & omnes qui dant vobis potestatem, ad rationem reddendam; satisfacite mihi in eo, & respondebo, aliter proderem fidem mihi commissam & libertates Populi: propterea cogitate de eo, & tunc lubens faciam. Fateor enim, tam magnum esse peccatum resistere legitimæ Authoritati, quàm se submittere Tyrannicæ, aut ulli aliâ illegitimæ Authoritati; quapropter satisfacite mihi in hoc, & recipietis meum responsum.

Dominus Præses. Curia expectat ut ipsi des finale responsum; propositum eorum est procrastinare usque ad diem Lunæ proximum. Si non satisfacias tibi ipsi, licet tibi dicamus Nostram Authoritatem; nobis sufficit nostra Authoritas, & est secundum Dei Authoritatem & Regni, & Pax illa de quâ loqueris custodietur in Justitia administranda, & hoc est præsens nostrum opus.

Rex. Pro responso dico, non ostendisti mihi legalem Authoritatem, quæ possit satisfacere ulli rationabili homini.

Dominus Præses; Ea est tua apprehensio, nobis satis est qui sumus tui Judices.

Rex. Non est mea apprehensio, neque etiam vestra quæ debeat hoc determinare.

Dominus Præses. Curia audit te, & disponendum est de te ut præceperunt.

Curia procrastinat ad postam Cameram in diem Lunæ hora decima antè meridiem, & inde huc.

Observandum est hic ominosi quid:

Cum accusatio legeretur contra Regem, *caput Scipionis* ipsius decedit; quod mirabatur, & cum videret

deret
vavit
Cu
illud
erat
maba

Cor

O Te
judice
spond
Sile
& Ca
qui tu

Ad
Cur
& in c
strepe

Mr.
mine E
Anglia
onem

crimin
cuso n
prælec
cuit ipi

bat Au
motio

Anglia
sponfu

nis, qu
sumatu
Justiti

Dem
Curia
ris ad

deret neminem attollere, ipse se propterea incur-
vavit.

Cum Rex regrederetur adspiciens curiam, dixit:
illud non vereor, innuens gladium. Populus qui
erat in Aula, cum descenderet gradus, quidam cla-
mabant: *Deus servet Regem; sed Plures: Justitiam.*

*Coram Supremo Tribunali Justitiæ in Aula
westmonasteriensi, die Lunæ xxii*

Jan. 1649.

Ores proclamato; silentio præcepto; postquam
judices essent vocati & singuli ad nomina sua re-
spondissent.

Silentium imperatum sub pœna incarcerationis,
& Capitaneo excubitorum apprehendere omnes
qui tumultuarentur.

Ad Regis ingressum clamor excitatus.

Curia præcepit Capitaneo prædioriorum capere
& in custodiam mittere qui tumultuabantur & ob-
strepebant.

Mr. *Sollicitator*. Placeat Dominationi tuæ, Do-
mine Præses, superiori curia, nomine Communium
Angliæ, exhibui & obtuli huic Tribunali accusati-
onem criminis læsæ Majestatis, & aliorum gravium
criminum adversus captivum, de quibus illum ac-
cusò nomine Populi Angliæ: & accusatio Ipsi fuit
prælecta & responsio requisita. Domine, non pla-
cuit ipsi tunc respondere, sed loco responsi, argue-
bat Authoritatem supremæ Curia. Humilis mea
motio ad hanc supremam Curiam nomine Regni
Angliæ est, ut Captivus cogatur dare positivum re-
sponsum sive per viam confessionis, sive negatio-
nis, quod si abnuit, quod subjectum accusationis
sumatur *pro Confesso*, & Curia procedat secundum
Justitiam.

Dominus Præses. Sire, potes recordari; superiore
Curia tibi explicata fuit occasio ob quam huc fue-
ris adductus & audivisti accusationem lectam

A 4

contra

contra te, continentem accusationem proditi-
 tionis & aliorum gravium criminum adversus
 Regnum Angliæ: audivisti itidem postulatam
 nomine Populi, ut accusationi responderes, ut su-
 per illam ejusmodi processus fierent qui congrue-
 rent Justitiæ, placuit tunc tibi aliquot scrupulos
 movere de Autoritate hujus Curia; & ignorabas
 quâ Autoritate huc deductus esses; diversis tem-
 poribus proposuisti quæstiones tuas, & sæpe illis
 responsum fuit, quod sit Autoritate *Communium*
Angliæ in Parlamento congregatorum, qui judicabant
 opportunum te vocare ad reddendum rationem
 grandium & capitalium criminum, de quibus accu-
 saris. Post illa seriò consideravit Curia à te dicta;
 sufficit ipsis sua Autoritas, & fas opinantur, ut
 Tu quoque illam admittas; & requirunt ut des po-
 sitivum & particulare Responsum ad accusatio-
 nem quæ contra te exhibita est; expectant ut aut
 confitearis aut neges: si negaveris, nomine Regni
 probabitur; eorum Autoritatem approbant totus
 orbis, ita ut Regno satisfactum sit; & oportet ut
 tibi quoque satisfactum ducas; quare non debes
 tempus terere sed positivè respondere.

Rex. Verùm est, cum postremò hic essem, movi
 illam Quæstionem, & sane si mea tantùm res age-
 retur, satisfecissem mihi met ipsi eâ Protestatione
 quam interposui, cum antè hic essem, contra Lega-
 litatem hujus Curia; & Regem non posse judicari
 ab ulla superiori Jurisdictione in Terra; verùm non
 solùm res mea agitur, sed & libertas populi Angliæ,
 & prætextite quicquid velitis magis laboro de eor-
 um Libertate. Nam si Potentia sine Lege potest
 ferre Leges, potest mutare fundamentales Leges
 Regni, nescio quis subditus in Angliâ possit esse
 securus vitæ aut alicujus rei quam suam vocat.
 Quapropter cum huc venissem, expectabam parti-
 culares rationes, ut scirem per quam Legem, quam
 Autoritatem hic procederetis contra me; ita mihi
 dispiciendum quid potissimum vobis dicturus sum,
 quia affirmanti incumbit probatio, negativa sæpe
 difficul-

diffi-
 id vo-
 nes
 R
 debe-
 conl-
 nas,
 hi (at-
 On
 cunq-
 Do
 quod
 Proce-
 ris in
 tatem
 privus
 tibi fu-
 banali-
 admil-
 exactu-
 sationi
 Rex
 Legis,
 rilconi-
 quantu-
 pte rea-
 plus q-
 sine ra-
 rùm die-
 satisfac-
 D m
 pam; p-
 Lege &
 utraque
 Angliæ
 Regni,
 oportu-
 tare co-
 bi dictu-
 temner-
 Acta.

difficulus probatur: verum siquidem non possum
id vobis persuadere, exponam vobis meas Ratio-
nes quam brevissimè possum.

Rationes ob quas in conscientia, & officio quod
debeo primùm Deo, deinde & Populo meo, ad
conservandum ipsorum vitas, libertates & fortu-
nas, credam me non posse respondere, donec mi-
hi satisfiat de Legalitate ejus.

Omnes procellus adversus hominem quem-
cunque!

Dominus Praeses. Sire, oportet ut te interrompam,
quod nollem facere, sed quod facis non congruit
Processibus alicujus Tribunalis Justitiæ, ingrede-
ris in disceptationem, & disputas contra Authori-
tatem hujus Tribunalis, coram quo appares ut ca-
ptivus, & accusaris ut gravis Delinquens; si Tu
tibi sumas cont'overtere Authoritatem hujus Tri-
bunalis, nobis non licet, aut ullum Tribunal hoc
admiserit, oportet te illi submittere, dandum est
exactum & directum responsum, utrum velis accu-
sationi respondere, nec nò, & quid respondeas.

Rex. Domine, si placet, non novi formalitates
Legis, novi Legem & Rationem, licet non sim Ju-
risconsultus professus, novi tamen Legem, tantum
quantum quisquam Generosus in Anglia; & pro-
pterea arguo pro Libertatibus populi Angliæ am-
plius quam vos; quapropter si cuiquam crederem
sine rationibus ante redditis, absurdum foret, ve-
rùm dico tibi rationem quam datis, mihi neutiquam
satisfacere.

Dominus Praeses. Sire! oportet ut te interrom-
pam; permitti enim tibi non potest: loqueris de
Lege & Ratione; decet esse Legem & rationem, sed
utraque sunt contra te. *Sire,* votum Communium
Angliæ congregatorum in Parlamento, est ratio
Regni, & illi Legem hanc tulerunt, secundum quam
oportuisset te regnare: *Sire,* non licet tibi dispu-
tare contra nostram Authoritatem, iterum hoc ti-
bi dictum sit à curia. *Sire,* noticia sumetur, te con-
temnere Curiam, & contemptus tuus referetur in
Acta.

A 5

Rex.

Rex. Nescio quomodo Rex possit esse Delinquens; verum per quamvis Legem, quam unquam audiverim, omnes homines (delinquentes aut quicquid vultis) possunt legaliter objicere scrupulos contra processus, & postulo hoc & peto ut rationes mea audiantur; si hoc denegas, denegas rationem.

Dominus Præses. *Sire*, aliquid objecisti Curia, exponam tibi illius sententiam. *Sire*, neque tibi, neque cuiquam homini permissum est disputare contra hoc subjectum, decretum est, non licet tibi argumentari contra jurisdictionem hujus Tribunalis; sin feceris, oportet tibi intimem, illos superiores esse tuâ objectione: sedent hic per Authoritatem Communium Angliæ; & omnes tui Prædecessores & Tu tenemini illis rationem reddere.

Rex. Nego illud, ostende mihi unum exemplum.

Dominus Præses. *Sire*, non debes interrumpere dum Curia te alloquitur, hoc subjectum non est disceptandum per te, neu permissura est Curia hoc tibi, oportere ad modum objectionis contra jurisdictionem hujus Curia, considerârunt suam jurisdictionem, probant suam jurisdictionem.

Rex. Aio Domine, Communes Angliæ nunquam fuisse Tribunal Judicaturæ, velim scire quomodo jam facti fuerint.

Dominus Præses. *Sire*, non permittitur tibi procedere in illa Oratione & his discursibus.

Tunc Secretarius Curia legit, ut sequitur: **C A R O L E S T U A R T E** *Rex Angliæ, accusatus fuisti nomine populi Angliæ, criminis læsæ Majestatis, & aliorum gravium criminum. Curia determinavit quòd oporteat te ad illa respondere.*

Rex. Responsum sum simulac intellexerim quâ Authoritate hæc faciatis.

Dominus Præses. Si hæc sunt omnia quæ vis dicere, tum Generosi qui captivum huc adduxistis, redcite illum.

Rex. Postulo ut mihi liceat exhibere rationes meas, ob quas non respondeam, & concedite mihi tempus ad hoc.

Dominus

Dominus Præses. Sire, non est captivorum postulare.

Rex. Captivorum? Domine, Ego non sum ordinarius captivus.

Dominus Præses. Curia consideravit de sua Jurisdictione, etiam confirmarunt suam Jurisdictionem; si non velis respondere, præcipimus tuum defectum in acta referri.

Rex. Nondum audivisti meas Rationes.

Dominus Præses. Rationes tuæ non sunt audiendæ adversus supremam Jurisdictionem:

Rex. Ostende mihi eam Jurisdictionem, ubi ratio non sit audienda.

Dominus Præses. Sire, ostendimus eam hîc tibi; Communes Angliæ; & proximo tempore cum adduceris huc, plura cognoscēs de placito Curia, & fieri potest, finalem ipsorum Determinationem.

Rex. Ostende mihi, ubi unquam Domus Communium fuerit Tribunal judicaturæ, in eo genere.

Dominus Præses. Sergeante, abduc captivum.

Rex. Domine, reminiscere Regem non tolerari exponere rationes suas pro Libertate & immunitate omnium suorum subditorum.

Dominus Præses. Sire, non permittitur tibi libertas ita loquendi: quantus amicus fueris Legum & Libertatum populi, tota Anglia & Orbis judicet.

Rex. Domine, cum licentia tua, Libertas & immunitas, & Leges subditorum semper mihi cordi fuere, si me armis defenderim, nunquam summi arma contra Populum, sed pro Legibus.

Dominus Præses. Mandato Curia obediendum est; nullum responsum datur contra Accusationem.

Rex. Bene Domine.

Atque ita deductus ad Domum Roberti Cottoni Equitis. Atque ita Curia procrastinata fuit ad picnicam Camevam in diem Martis hora duodecima, & inde intendunt procrastinare ad Aulam Westmonasterientem, quo tempore omnes quos concernit jubentur adesse.

E N D I S

Nomina

Dominus

*Nomina eorum qui Supremo illi Justitiæ
Tribunali interfuerunt, sententiám q³ tu-
lerunt capitalem in CAROLUM I.
Magnæ Britannix Monarcham.*

S ergeantus Bradshaw Præses	Mr. Love
Joannes L'isle	Mr. Potter
Whilhelmus Gay	Mr. Garland
Olverius Cromwel L. G.	Wilhel. Constable Eq.
Iretonus Comiss. Gen.	Colon. Ludlow
Hardredus Waller Eq.	Colon. Hudchinson
Colon. Harrisson	Miles Livesey Eq.
Colon. Haley	Mr. Dixwell
Colon. Pride	C. Fleetwood de Buck.
Colon. Ewer	Mr. Mayne
D. Gray de Groby	Jacobus Temple
Joannes d' Anvers Eq.	Mr. Blagrave
Thomas Malleore Eq.	Colon. White
Joannes Bouchier Eq.	Colon. Titchborne
Wilb. Henningham	Colon. Romt
Aldermannus Pennington	Colon. Scroop
Henricus Martin	Colon. Lilborne
Colon. Purefoy	Colon. Dean
Colon. Barkstead	Colon. Okey
Colon. Thomlinson	Colon. Huson
Mr. Blakiston	L. C. Goffe
Mr. Millington	Cornelius Holland.
Gregorius Norton Eq.	Mr. Carey
Colon. Harvy	Joannes Jones
Colon. Ven	Miles Corbet
Mr. Scot	Mr. Allen
Alderm. Andrews	Peregrinus Pelham
Mr. Cawley	Colon. More
Mr. Burrel	Mr. Elauer
Colon. Stapely	Mr. Smith
Colon. Donne.	Mr. Edwards
Mr. Norton	Mr. Clement
L. G. Harmon	Colon. Woghan.

M A J E^r



M A J E S T A T I S
S U Æ
R A T I O N E S.

*Adversus Prætensam Jurisdictionem Supremi
Tribunalis Justitiæ, quas intenderat ex-
hibere in Scripto, die Lunæ
Jan. xxii. 1649.*

Fideliter descriptæ ex Autographo ipsius

R E G I S.



Um jam antè sim protestatus, non
solum adversus illegalitatem hu-
jus prætensi Tribunalis, sed eti-
am nullam terrenam potestatem
justè Me posse vocare (qui sum
Rex vester) in quæstionem, ut
delinquentem ; nollem ampliùs
aperire os hac occasione, sed Me referre ad ea quæ
dixeram, si me solum hæc res tangeret. Sed officium
quod debeo Deo ad conservandum veram Li-
bertatem populi mei, non permittit mihi ut hoc
tempore sileam : Nam, quomodo potest quis li-
berè natus subditus Angliæ vocare vitam aut quic-
quid possidet suum proprium, si potentia sine jure
quotidiè faciat novas & abroget veteres funda-
mentales leges hujus terræ, quem judico esse præ-
sentem casum. Quapropter cum hic venissem, ex-
pectavi quod studuissetis mihi satisfacere in hisce
fundamentis, quæ me impediunt respondere præ-
tensæ accusationi ; verum postquam animadverto,
quod

quod nihil quod possim dicere, vos ad id permoves. licet Negativæ non tam naturaliter probentur, quàm affirmativæ) tamen volo vobis manifestare rationes ob quas confido vos non posse me iudicare, aut vel vilissimum hominem in Angliâ; nolo enim (quemadmodum vos) sine ostensa ratione, fidem exigere à subditis meis.

Hic fui inhibitus, & non passus quicquam ulterius loqui de Rationibus. Nullus est processus justus adversus quemquam, nisi qui Authoritatem habeat aut à Lege Dei, aut municipalibus legibus terræ in quâ vivit. Nunc autem certissimus sum, Processus qui hodie fiunt non possunt confirmari per Dei legem. nam in contrarium, necessitas obsequii Regibus debiti clarè confirmata est & strictè imperata in Veteri & Novo Testamento; quod si negetur, paratus sum continuò illud probare, & quoad questionem quæ jam agitur, ibi dictum est, *Ubi verbum Regis est, ibi est potestas, & quis potest illi dicere, quid facis?* Eccles. 8. ver. 4. Tum quoad Leges terræ, non minus certus sum, nullum doctum Jurisconsultum affirmaturum, ullam accusationem esse posse contra Regem, cum omnes prodeant sub Illius nomine: & unum axioma tum illorum est *Regem non posse facere injuriam.* Præterea Lex supra quam fundatis vestros Processus, aut vetus est aut nova; si *vetus*, ostendite illam; si *nova*, dicite quæ Authoritas confirmata à fundamentalibus Legibus hujus terræ tulerit illam & quando? Verùm quomodo Domus Communium possit erigere Tribunal judicaturæ, quæ ipsa nunquam talis fuit (ut omnes Jurisconsulti nôrunt) relinquo Deo & orbi iudicandum; & valde mirum videbitur quomodo prætendant ferre Leges sine Rege aut Domo Parium, cuius qui unquam audiverit de Legibus Angliæ.

Sed admissio, non tamen concessio, quod populi Angliæ commissio possit confirmare præsentem potestatem vestram, nihil video quod possitis pro eo ostendere: Nam certè vos nunquam rogastis hanc quæ

quæ
hac
riti
lati
præ
maj
qual
quan
Vi
mod
berta
non i
vend
test i
prier
livisc
mas E
tum v
fracti
fuerit
que I
mibi i
porter
Me, &
sum, &
privus
ctus s
quanti
tates h
quanti
est exc
Et q
mis no
aut det
hac su
tè vest
Regni
spes est
regnat
gumini

quæstionem à decimo homine hujus Regni, & in hac methodo manifestè injuriam facitis vel pauperimo aratori, si ejus assensum liberum non postulatis; neque prætexere potestis ullum colorem huic prætensæ vestræ Commissioni, extra consensum, saltè majoris partis singulorum in Anglia, cujuscunque qualitatis aut conditionis, quæ certus sum vos nunquam quæsiuisse; tantum abest ut illum obtinueritis.

Videtis itaque me non loqui pro meo jure solummodo, ut sum Rex vester, sed etiam pro vera Libertate omnium meorum subditorum, quæ consistit non in dividendo potestatem Regiminis, sed in vivendo sub talibus Legibus, tali regimine, quod potest ipsis dare optimam securitatem vitarum & proprietatis suorum bonorum. Neque in his debeo oblivisci aut obliviscor Privilegiorum utriusque Domus Parlamenti, quæ Processus hodierni non tantum violant sed etiam dant occasionem maximæ infractionis publicæ fidei, qualis (credo) nunquam fuerit audita, quâ omnino nolim onerare utramque Domum: nam omnia prætensa crimina quæ mihi imponuntur, longè priora sunt Tractatu Neoportensi, in quo cum conclusis quantum erat in Me, & jure expectaverim utriusque Domus assensum, subito fui subductus, & abstractus inde ut captivus, quo facto contra voluntatem meam deductus sum huc, ubi postquam veni, non possum non quantum valeo defendere antiquas Leges & Libertates hujus Regni, unâ cum justo jure meo; unde quantum videre possum, superior Domus totaliter est exclusa.

Et quantum attinet ad Domum Communium, nimis notum est majorem partem eorum captivam esse aut deterritam à sedendo, ita ut si non haberet aliam, hæc sufficiens causa esset protestandi contra legalitatem vestri prætensi Tribunalis. Præter hæc omnia, pax Regni non est minima pars mearum curarum; & quæ spes esse potest eam stabilendi, quamdiu potentia regnat sine norma Legis, mutans totam machinam Regiminis, sub quo hoc Regnum floruit multis seculis (neque

(neque volo dicere quid fecuturum sit, si hi illegales & iniusti processus pertendant contra Me) & credo quod Communes Angliæ non sint vobis gratias acturi ob hanc mutationem. revocaturi enim sunt ad memoriam quàm feliciter egerint superioribus annis sub regno R. *Elisabethæ*, Regis mei parentis & meo, ante initium horum infelicitum tumultuum; & habebunt causas dubitandi, numquam se tam felices fore sub aliquo novo.

Et hoc tempore evidenter apparebit, quod arma tantummodo sumserim ad defendendum fundamentales Leges hujus Regni, adversus eos qui suspoderunt meam potestatem totaliter mutasse antiquum Regimen.

Postquam ita breviter vobis exposui rationes, ob quas non possum me submittere præsentæ vestræ Authoritati sine violatione fidei quam Deus mihi commisit ad salutem & libertatem populi mei; expecto à vobis aut claras rationes ad convincendum meum iudicium, demonstrando quod verfer in errore (& tum sanè paratus ero respondere) aut ut processus vestros suspendatis.

Hæc proposueram effari in Aula Westmonasteriensi die Lunæ xxii. Jan. sed contra rationem prohibitus fui proferre Rationes meas.

Editum Anno 1648 *styl. Angl.*
1649 *Vulgar.*

F I N I S.

R E

REGIS CAROLI
ORATIO

HABITA IN SUGGESTU

Ad portam *Albae Aulae*.

Immediatè ante Executionem,

Die Martis xxx Jan. $\frac{1648.}{1649.}$

Cum Relatione quo pacto ad suppli-
cium ductus fuerit.

Publicatam speciali Autoritate.



LONDINI.

1649.

RE-

OTTA

...

...

...

...

...

...

LORDAN

1042



cun
det
& C
loq
grac
theo
vit
(cu
mo
fum
fruf
mar
I
& a
tur
tari
pulan
erat
lx, &
porti
erat
ris &
cata.

posteri
Cruis



REGIS CAROLI
ORATIO

Habita in Suggestu ad portam

Albæ Aula, immediate ante supplicium.

Die Martis xxx Januar.



Circiter horam decimam matutina-
nam Rex ductus fuit à St. Jaco-
bi aula, pedes incedens per Par-
cum, cum Regimento peditum,
partim ante, partim post Ipsum,
vexillis expansis, & tympanis fon-
nantibus, privatâ Iplius custodia,
cum quibusdam Iplius Generosorum, ante & post
detecto capite, *Doct. Juxton* proximè post Ipsum,
& Col. *Thomlinson* (cui cura ipsius erat mandata)
loquente cum Rege detecto capite, à Parco, per
gradus ad porticum, atque ità in * Pinaco-
thecam, ubi solebat cubare, ibi continua-
vit suam devotionem, reitans prandere
(cum ante sumisset Sacramentum) solum-
modò circiter horam antequam prodiret
sumsit haustum vini Claretti, & comedit
frustum panis circiter horam duodeci-
mam.

* Obser-
vatum
fuit Re-
gem peci-
isse usum
Pinaco-
thece &
exigui
conclavis
graduum.

Indè comitatus à *Doct. Juxton*, Col. *Thomlinson*
& aliis officariis, destinatis ut illum comitaren-
tur & privatis custodiis corporis, cum moi que-
tariis ab utroque latere, ductus fuit per *Domum e-*
pularum adiunctam, ad quam † Suggestum † Erat
erat erectum, inter portam Albæ Au-
læ, & portam quæ ducit à St. Jacobo ad
porticum: Suggestum undique opertum
erat nigro, & solum tectum nigro, & secu-
ris & truncus in medio ipsius suggesti lo-
cata. Diversa vexilla peditum, & turmæ

† Erat
proxime
(& non
in)locum
illum, in
quo pri-
mus san-
guis fu-
it in-
principio

posteriorum barbarum, extra Regis Cavalierii impetum facerent in
Circu, occidentem, unum, & circiter 20 unherant.

equitum

equitum dispositæ erant ab una parte Suggesti versus *King-street*, & ab altera parte versus *Charing-cross*, & multitudo populi qui venerat ad spectaculum, erat ingens.

Rex cum venisset in suggestum, serio intuitus est truncum, & interrogavit Col. *Hacker*, an non esset ad manum altior; & tunc ita locutus est, (dirigens præcipuè sermonem ad Col. *Thomlinson*.)

Rex. Perparum audiri potero à quoquam hic, itaque verbum profabor ad te: poteram utique tacere, nisi putarem quod silentium meum, faceret quosdam opinari, quod tam crimini me submittam quàm pœnæ; verum duco officium meum esse quod debeo primum Deo, deinde meæ Regioni, me mundo exhibere honestum virum, & bonum Regem & bonum Christianum. Ordiam ab innocentia mea; sanè opinor haud valdè necessarium esse diu huic insistere. Nam Orbis novit me non incepisse bellum contra utramque Domum Parlamenti, & appello Deum testem, cui brevi rationem sum redditurus, me nunquam intendisse deterere quicquam de ipsorum Privilegiis; ipsi orsi sunt contra me, inceperunt à *Militia*; fatebantur Militiam esse meam, sed idoneum putabant illam mihi adimere; & breviter, si cui lubeat inspicere data commissionum, nimirum commissionum ipsorum & mearum, atque itidem Declarationum; liquidò videbit ipsos incepisse has turbas, & non me; ita ut à noxa enormium illorum criminum quæ mihi obijciuntur, sperem Deum Me absoluturum, ego volo, sum in Charitate: Deus prohibeat ut illa imputem utriq; Domui Parlamenti, non est necessitas alterutrius, spero illos innocentes esse ab hoc crimine: credo enim prava Instrumenta inter illos & me, principalem causam fuisse omnis sanguinis effusi: & ut per modum loquendi, me liberum ab his agnosco, ita spero & precor Deum, ut & ipsi esse possint: his non obstantibus, Deus prohibeat, quod sim tam malus Christianus, ut non agnoscam Dei iudicia justa esse contra me: sæpe enim is exsequitur Justitiam

sententiam per injustam sententiam, hoc est ordinarium; hoc solum dicam, injustam (*Straffordj*) sententiam, quod passus sum illam fortiri effectum, nunc puniri, per injustam sententiam erga me; atque hæc dixerim ut ostendam me innocentem.

Nunc ut manifestem me esse bonum Christianum: spero hic esse (innuens *Doct. Juxton*) bonum virum qui mihi testimonium perhibebit, quod condonaverim toti orbi, atque adeo iis particulatim, qui fuere præcipuæ causæ mortis meæ; quinam sint, Deus novit, ego non desidero scire, Deum precor ut omnibus condonet. Sed hoc non est totum; oportet Charitatem meam ulterius progredi, opto ut poeniteant. nam revera commiserunt magnum peccatum in eo particulari: precor Deum cum *S. Stephano*, ut hoc ipsis ne imputetur; quinimo, non solum hoc, sed ut possint inire rectam semitam ad Pacem hujus Regni. nam mea charitas præcipit mihi, non solum condonare particularibus hominibus, sed etiam præcipit me anhelare ad extremum

Conversus ad quosdam Generosos qui scribebant.

halitum pacem Regni: Itaque (*Domini*) opto ex toto corde meo, & spero (sunt quidam hic qui longius elaturi sunt) quod sint promoturi Pacem Regni. Nunc (*Domini*) oportet me vobis ostendere, tam quomodo sitis extra viam, quam quomodo vobis ad illam revertendum sit: primò, estis extra viam. nam certè via quam hæctenus tenuistis quantum potui animadvertere, est *Via Conquestus*. Certè hæc est prava via. nam Conquestus, meo iudicio, nunquam est justus, nisi adsit bona & justa causa, sive fiat ob subjectum, pravi aut iusti Tituli, & si illum excedas, prima prætensio quam habes ad illum, facit injustum in fine, qui erat justus in exordio: sed si sit solummodo Conquestus, tam est grandis rapina, ut pyrata quidam dicebat *Alexandro*, illum esse magnum raptorem, & se parvulum; atque ita, *Domini!* opinor viam quam ingredimini, esse extra viam quamplurimum. Nunc, ut vos in viam redcam, credite nunquam justum facietis, neque De-

us

us vos prosperabit, antequam detis Deo quod suum est, & Regi quod suum est (id est meis Successoribus) & Populo quod suum est. Tam sum pro iis quam quisquam vestrum.

Debetis dare Deo quod suum est, constituendo ejus Ecclesiam recte, secundum illius Scripturas, quæ nunc inordinata est: nam vos nunc particulatim reducere in viam nequeo, verum hoc solum, Nationalis Synodus liberè vocata, liberè disceptans inter se, debet hæc stabilire; cum uniuscujusque opinio liberè & clarè fuerit audita.

Quoad Regem (sanè nolo; tunc convertens se ad Generosum qui tangebatur securim, dixit: *Ne lade se- Putans illum hebe- gante aciem.* *curim, quæ posset me ledere.*) Leges terræ clarè vos instruent in illo; quapropter quia Me particulatim concernit, tantum obiter attingo.

Quoad Populum. Certè tam desidero ipsorum libertatem & immunitatem, quam quisquam alius. Verum oportet ut vobis dicam ipsorum Libertatem & immunitatem consistere in Regimine; & illis Legibus, per quas vita & bona possunt maximè esse ipsorum. Non est in habendo partem in Regimine, quod nihil ad eos attinet. Subditus & Princeps superior sunt res planè diversæ; & propterea donec hoc faciatis, puto, quod populum inducatis in eam Libertatem, ut ajo, nunquam ipsi illà fruuntur.

Domini, ob hanc causam huc veni: si voluissem dare occasionem *Arbitraria via* mutandi omnes Leges secundum potentiam armorum, non necesse fuisset huc venire; & propterea dico vobis (& precor Deum ne vobis hoc imputet) quod sim *maritrus populi.*

Sanè, non detinebo vos diutius; nam hoc solum adhuc dicendum habeo, quod reverà desiderassem paulò longius tempus, ut hæc quæ dixi in meliorem ordinem digererem, quam feci; & propterea spero vos Me excusaturos.

Liberavi conscientiam meam, precor Deum, ut eam viam ingrediamini quæ optima sit ad incolumitatem Regni, & vestram salutem.

Doct.

Doct.
ultima si
fieri tam
re ad or

Rex.

hoc; pen

pinor co

nitam et

vobis om

confessio

relictam

Doct. Ju

ficiarios

nam Ca

Tum se

sollicitu

sed quo

rim, di

securi.

Tantur

dam ma

Juxton

illud,

pedime

tio, qu

nificis

bat:

pro m

Doct.

bulentu

quod co

mirum à

gaudiu

Rex.

coronan

mnino.

Doct.

ronam

tio.

Doct. Juxton. Placetne Majestati tuæ (licet notissima sit Majestatis tuæ affectio erga Religionem; fieri tamen potest ut hoc expectetur) aliquid dicere ad orbis satisfactionem.

Rex. Animitus tibi gratias ago, mi Domine, ob hoc; pene ejus oblitus fuisssem. Revera Domini, opinor conscientiam meam de Religione, satis cognitam esse toti orbi; & propterea Declaro coram vobis omnibus, me mori ut Christianum secundam confessionem Ecclesiæ Angliæ, qualem inveni mihi relictam à Patre. Et hic honestus vir (designans *Doct. Juxton*) testis erit. Tunc se convertens ad Officiarios, dicebat: Domini excusate me. Habeo bonam causam, & gratiosum Deum; plura non addo. Tum se convertens ad *Col. Hacker*, dicebat: Esto sollicitus, ne mihi dolores ingerant, si tibi placet; sed quodam generoso proprius accedente ad securim, dixit *Rex*: Abstine à securi, quæ o abstine à securi. Tum *Rex Carnificem* alloquens, aiebat: Tantum breves preces fundam, & quando extendam manus, percutias, &c. Tunc *Rex* petiit à *Doct. Juxton* caputium suum nocturnum, & cum induisset illud, dixit Carnifici: An capillus meus tibi est impedimento? qui petiit ut illum conderet sub caputio. quod & *Rex* fecit cum auxilio Episcopi & Carnificis. tum *Rex* se vertens ad *Doct. Juxton*, aiebat: Habeo bonam causam & gratiosum Deum pro me.

Doct. Juxton. Restat tantum unum stadium, turbulentum quidem & molestum; verum valde breves, quod compendio te traducet longissimam viam; nimirum à terra in calum, ibique invenies magnam gaudium & solatium.

Rex. Vado à corruptibili ad incorruptibilem coronam, ubi nulla turbatio esse potest, nulla omnino.

Doct. Juxton. Permutabis temporalem coronam cum æterna; per bona hæc permutatio.

Rex.

Rex. Tum dixit Carnifici: An capillus meus
Credisur bene se habet? tunc Rex deposuit pallium
Principi suum; & Insigne Georgii quod dedit
tradendum. *D. Juxton,* inquiens: Reminiscere &c.
 Tunc Rex deposuit Thoracem suum, & resumpsit
 pallium; tunc intuens truncum, dixit Carnifici: O-
 portet ut illum firmiter componas.

Carnifex. Jam firmus est.

Rex. Potuisset esse paulò altior.

Carnifex. Non potest jam esse altior.

Extendens Rex. Quando extendam manus hac vi-
itas. a; tunc, &c. Post illa, cum dixisset duo
 aut tria verba (stans) intra se manibus & oculis e-
 levatis; immediatè inclinans se, imposuit cervicem
 trunco: & cum Carnifex denuo conderet ejus ca-
 pillum sub caputis, Rex dixit: exspecta signum.

Carnifex. Ita faxo, si placet Majestati tuæ. Et
 post paululum, Rex extendit manus; & mox car-
 nifex uno ictu separavit caput à corpore.

Sic transit Gloria Mundi

F I N I S.

billus meus
iuit pallium
quod dedit
iscere &c.
& resumpsit
arnifici: O.

us hac vi-
ixisset duo
x oculis e-
t cervicem
et ejus ca-
signum.
ti tuæ. Et
& mox car-
e.



109. 102

PV











PERFECTA
NARRATIO

(2)

Totius Processus

Supremi Tribunalis Justitiæ

IN

EXAMINE REGIS

*In Aula Westmonasteriensi, die Saturni
XX & die Lune XXII hujus præ-
sentis Januarii.*

*Cum singulis Orationibus Regis, Domini
Præsidis, & Sollicitatoris Generalis.*

*Publicatum Autoritate ad prævertendum falsas
& incongruas Relationes.*



LONDINI,

Ex Officina *Guilielmi Bentley,*
Impensis *Guilielmi Shears,* prope osti-
olum Boreale Templi Divi Pauli.
Anno Dom. 1649.

